

Pater in manus tuas commendo spiritum
meum, redemisti me Deus fidelis & verax.
Pater in manus tuas commendo spiritum
meum, redemisti me Deus fidelis & verax.
His dictis, cum ad M. Celium quarentem ex eo,
num in doctrina, quam confessus esset, constanter
permanere, & ad Christum accedere vellet, clara
voce omnibus audientibus dixisset, Ita, placidissi-
mè obdormiuit.. D. Philippus verò Eliseus, suc-
cedens Elia, cum in publica lectione, literas an-
nunciantes obitum Viri omnium maximi, acce-
pisset, suspirijs, gemitibus, & lacrymis profuse
effusis, Occidit, inquit ad auditores, occidit,
cecidit auriga & currus Israël, Lutherus.
Deus nostri misereatur. Obitum Viri huius
que mala subsequuta statim sint, nouimus omnes,
bella intestina & externa, motus, similitates,
diffidentia, odia irreconciliabilia, discordia, cor-
ruptela, calumnia, portentosa opinionum, ita ut
Constantia & Concordia cum eo sepulta esse dice-
retur. Doctrina autem Dei beneficio per Eli-
seum Philippum, Pomeranum, Sneppium, Bren-
tium, Principem Georgium Anhaltinum, Mat-
thesium, Theodorum, Forsterum, atq; reliquos
fidelissime propagata, & ad nos tantorum lumi-
narium discipulos & posteros, ô utinam discipu-
los fideles & veros, translata est, quam ut Deus
clementer conseruet in Ecclesijs, scholis, familijs,
H & edi-